Illustrissime Reverendissime Domine

Secundo jam traducor et accusor occultæ evasionis ex eo, quod inventi advenioni, qui vel spe lucri vel alior suasu mihi operam suam ad hoc præsentarunt. Quamvis merito in hac tam indigna et iniqua tractatione aliquid tentare potuissem quod nemo prudens temeritati adscripsisset attamen innocentiæ fidens adeo vindici causam meam committens nunquam assensum propositis mediis præbui. Literas secretarii mei Italici in hac materia scriptas / quæ acerbarunt eminentissimum Cardinalem contra me / has ego ipse legi coram præfato custodiæ meæ et in manus ipsius tradidi cum nihil aliud continerent, quam quod significarent novum hominem repertum qui ducentorum millium pretio me ex hoc carcere se educturum promitteret. Cujus ego risi insaniam et secretarii mei inconsiderationem quod hoc veluti arcanum quoddam insolito modo mihi perscriberet. Salonæ similiter quid jam acciderat et cum præfato custodiæ cupienti scire quisnam esset, qui hoc facinus auderet ingenue fassus fuissem nomen et personam putans hac confessione non nihil mitigandum, ab illo rigorem carceris et afflictionis meæ hoc ecce inermi ut majori in me rabie sevirет et prodito reo neglecto in me furiam verteret, Salonaque abreptum ex Archiepiscopali Palatio Cisteronum transferet in Latronum et parricidarum carcerem. esset laudatissimæ prudentiæ eminentissimi Cardinalis aliquem huc destinare qui me meosque audiret, et supplicia mea quæ inde. mnis et indicta sub justo Ludovico Galliarum rege patior prudenter consideraret ac referret, non dubito

quin

quin praeoccupati male de me animi mutandi forent. Defui nunquam id sollicitando literis et nunciis, tam apud dominum gubernatorem hujus Provinciae quam apud ipsam curiam Christianissimi. Sed ubique vel surdos judices causae vel contemptores personae meae reperi. Et quod ne a barbaris quidem mihi futurum putassem nullae meae quasi supplices litterae receptae nulli nuntii auditi in Curia tam justi regis. Hinc fere inductus sum ut crederem quod mihi a diversis perscribitur nisi nihil intentum meum quaerere eminentissimum Cardinalem aut ita inglerium me reddere, ut indignus sim qui vivam rogo obnixe Illustrissimam dominationem vestram velit pro Christiana pietate peregrinum me et Orphanum Principem meliori affectui et gratiae ipsius commendare et apud eundem efficere ut quod a reye Poloniae fratre meo ab eodem petitur obtineam nimirum hospitium natalibus meis convenientius donec legati ventum negotium suum finierint maneo. Illustrissimae ac Reverendissimae dominationi vestrae obligatissimus et affectionatissimus Joannes Casimirus Poloniae et Sueciae Princeps Cisteroni 12. Junii Anno 1639